



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm VVintoniense Svb Sancto Dvnstano Cantvariae archiepiscopo in  
interstitio regnorum Edgari & Edvvardi martyris regum celebratum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

Ego Adalbero sanctæ Rhemensis ecclesiæ archiepiscopus interfui  
& firmaui cum reliquis.

ANNO  
CHRISTI  
975.

NOTA IACOBI SIRMONTI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>2</sup> *Concilium Rhemense.* ] Sententiæ huius exemplum ex veteri libro descriptum Andrea Quercerani diligentia debemus. Annum autem ex coniectura illum adscripsimus, quo constabat damnatum a Benedicto VII. pulsamque ab apostolica sede quam inuaserat Francionem, qui Bonifacius dicebatur. Theobaldum porro ante annos fere triginta episcopum Ambianis ordinarat Hugo pseudoarchiepiscopus Rhemensis. Quam ob causam excommunicatus iam fuerat in Synodo Treurense, cui Marinus legatus præfuit anno 949. & nunc iterum eadem sententia percellitur.

CONCILIVM VVINTONIENSE

SVB SANCTO DVNSTANO CANTVARIÆ  
archiepiscopo in interstitio regnorum Edgari & Ed-  
vardi martyris regum celebratum.

*In quo dum acerrime contenditur de clericis uxoratis monachisve præferendis, imago dominica pro monachis dicitur elocuta, & controuersiam protinus diremisse, præsentibus Edgardo rege cum sua coniuge, sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariæ, cum ceteris episcopis, abbatibus, &c. Elfero principe Merciorum, Ethelvvino duce orientalium Anglorum, Elfvvaldo suo germano, Brithnotho comite, cum nobilitate totius regni.*

**D**E hoc Concilio hæc Binius e Baronio: Dum Angliæ clerici non satis probatæ vitæ opera principum & optimatum abbates eorumque monachos optime vjentes e monasteriis ab Ethelvvvaldo Vvintoniensi episcopo aliisque regibus & viris pie fundatis eiecissent, eorumque bona inuasissent, delatum est negotium ad Dunstanum Cantuariensem episcopum, qui Synodum apud Vvintoniam congregauit, in qua circa medium vtriusque partis disputantis conflictum, *inquit Matthæus Vvestmonasteriensis*, imago dominica, quæ altercantibus astabat in ecclesia, expresse locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet: iudicatis bene, male mutaretis. Quare *(inquit idem Matthæus)* clerici omnesque eorum fautores elingues redditi nullam deinceps monachis controuersiam mouerunt.

ANNO  
 CHRISTI  
 975.

*Habetur in hanc sententiam vetustioris auctoritatis scriptor  
 Vvilielmus Malmesburius, qui rem sic memorat:* Defuncto Ead-

Gest. reg.  
 libro 2. cap.  
 9.

gardo, clerici quondam ab ecclesiis expulsi rediuiua prælia  
 suscitauerunt, dicentes ingens esse & miserabile dedecus vt  
 nouus aduena veteres colonos migrare compelleret, hoc  
 nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem con-  
 cessisset, nec alicui probo homini, qui sibi idem timere  
 posset quod aliis præiudicio accidisse cerneret. Ea de re  
 in clamores & iras surrectum, & ad Dunstanum perre-  
 ctum est, præcipue proceribus, vt laicorum est, succla-  
 mantibus præiudicium, quod clerici passi fuerant iniuste  
 leniori consilio succidi debere. Nam & vnus eorum El-  
 ferius omnia pene monasteria, quæ reuerentissimus Ethel-  
 vvoldus monachus, & Vventanus episcopus cõstruxerat  
 in prouincia Merciorum, magna vsus insolentia euertit.  
 Itaque frequenti Synodo coacta primum Vvintoniam  
 ventum. Quis ibi fuerit finis certaminis aliæ literæ docent,  
 dominicam imaginem expresse locutam, clericos eorum-  
 que fautores confundisse; sed adhuc non sedatis animis, Cal-  
 næ Concilium indictum: vbi, &c. vt legeris in *Calnensi Con-  
 cilio hic inferius habito.*

*Hæc itemque Fornalensis, & præterea quidpiam.* Congrega-  
 ta, inquit, super hoc celebri Concilio apud Vvinton, ima-  
 go Crucifixi voce humana in veteri monasterio Vvinton  
 coram omnibus viam Dunstani asseruit esse veram, sic di-  
 cens: Absit hoc vt fiat, Absit hoc vt fiat: Iudicatis bene,  
 mutaretis non bene. In cuius rei memoriam in capite  
 refectorii eiusdem monasterii super caput Crucifixi sic  
 scribitur:

*Humano more crux præsens edidit ore  
 Cælitus effata, quæ prospicis hic subarata.*

*Huius litis & ipsius Synodi ante Malmesburiū meminit Ed-  
 gari sæculi vicinus Florentius Vigornensis, non miraculi.* Cuius,  
 inquit, scilicet Eadgari, decessu totius regni status est pertur-  
 batus, & post tempus lætitiæ, quod illius tempore stabat pa-  
 cifice, cœpit tribulatio vndique aduenire. Nam princeps  
 Merciorum Alferus, quampluresque regni primates, ma-  
 gnis obcæcati muneribus, abbates cum monachis de mo-  
 nasteriis, in quibus rex pacificus Eadgarus eos locauerat,

*Concil. Tom. 25.*

Bb ij

expulerunt, & clericos cum vxoribus suis introduxerunt. Sed huic vefaniæ viri timorati, dux orientalium Anglorum Athelvvinus Dei amicus, & suus germanus Alfvvoldus, & Brithnotus comes vir religiosus, restiterunt, & in Synodo constituti se nequaquam ferre posse dixerunt, vt monachi eiicerentur de regno, qui omnem religionem tenuerunt in regno. Congregato dein exercitu, monasteria orientalium Anglorum maxima strenuitate defendunt. Dum hæc aguntur, de rege eligendo magna inter regni primores oborta est dissensio. Quidam namque regis filium Edvvardum, quidam vero fratrem eius elegerunt Æthelredum. *Sic Vvignornensis, totidemque plane verbis ipsum idem postea Horvedenus. Audiendus demum auctor chronici Vvintoniensis monasterii ex vetusto manuscripto qui longe aliter rem exhibuit.*

Chron.  
Vvintonie.

Anno, *inquit*, dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo octauo, anno regni Christianissimi regis Edgari octauo, anno pontificatus sui Athelvvoldi quinto, sabato Ramispalmarum, expulsi sunt clerici a nouo monasterio Vvintoniæ, quod modo Hyda nominatur.

Clerici vero, dum ab ecclesia, quæ vetus nominatur cœnobium, in vrbe Vventana, expulsi, rediuiua prælia fuscitarunt; inter se altercantes, ingens esse & miserabile dedecus, vt nouus aduena veteres colonos migrare compelleret; hoc nec Deo gratum putari, qui veterem habitationem concessisset, nec alicui probo homini, qui sibi idem timere possit, quod aliis præiudicio accidisse cerneret: ea de re in clamores & iras surrectum, respirandique ad pristinam dignitatem propositum arripientibus canonicis, apud Vvintoniam super hac re conuenitur.

Adsciuit rex inclytus Edgarus & Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus sanctus Dunstanus, pro vtraque parte iudices veracissimos, in refectorio prædicti monasterii pro tribunali confidentes, in orientali videlicet parte ipsius refectorii, in medio sedilis, habentes a tergo murum, in quo erat crux immurata, a tempore quo canonici, rege Æthelredo \* tertii filii Athulphi regis permittente, grauiter tamen id ferente, monachis per Danos interceptis, ecclesiam sæpe dictam vsurpantes intrabant, rege Edgardo ceterisque ibidem præsentibus penitus ignorantibus

\* Reclius  
tertio filio

ANNO  
 CHRISTI  
 975

bus. Qui murus tunc erat vbi modo tertius gradus confi-  
 stit, quo itur ad sedem præsentis, siue ad prædictæ cru-  
 cis imaginem, secundum Vigilantium in libro de basilica  
 Petri, capitulo nono, cum quo etiam concordant plu-  
 rimi antiqui chronicantes. Stant ex parte sinistra refecto-  
 rii duces, cum totius regni magnatibus, nec non cum ex-  
 pulsis canonicis, pro ipsis clericis allegantibus. Ex parte  
 vero dextra soli duo sanctissimi pontifices astiterunt, vi-  
 delicet sanctus Osvaldus Eboracensis archiepiscopus, &  
 Vventanæ sedis antistes sanctissimus Athelvoldus, cum  
 monachis, & pro ipsis vt permanerent, coram rege &  
 archiepiscopo philosophantes. Tandem magnates regni  
 contemplantes se fore victos, promissa vitæ emendatione  
 ex parte clericorum, regem & archipræsulem humillime  
 deprecantur, vt reintrent canonici, quorum precibus,  
 lacrymis, suspiriis, motus clementissimus rex Edgarus, in  
 arcto constituitur, quid super hoc agere debeat mente ru-  
 minatur. Quid multa? Veniam clericis sub spe emendæ  
 concessurus, licentiam reintrandi ipsis annuere proposuit.  
 Cum igitur sententiam suæ diffinitionis erat in proximo  
 proponendi, audita est vox diuinitus afflata de imagine  
 crucis muratæ personans: Absit hoc vt fiat: Absit hoc vt  
 fiat: Iudicatis bene: Mutaretis non bene. Quam quidem  
 vocem articulatam soli Edgarus inclytus princeps & san-  
 ctus archipræsul Dunstanus, qui iudices causæ extiterant,  
 audiuerunt. Ad quam quidem vocem stupefacti rex & ar-  
 chipræsul corruerunt proni in terram, ceteri vero omnes  
 audientes vocis sonum quasi tonitruui magni, ceciderunt  
 perterriti in terram. Quid plura? Vox secundo de cruce  
 personuit regi & archipræsuli sub hac forma: Surgite, ne  
 expauescatis, quia hodie iustitia & pax in monachis oscu-  
 lata sunt. Sicque stabilimentum suscepit ordo monasti-  
 cus, vt inhabitet in domo Domini in longitudinem die-  
 rum, maligno consilio clericorum dissipato, vt scribit Vi-  
 gilantius in libro de basilica Petri, capitulo nono, vt scri-  
 bit Vvilielmus Malmesburiensis de regibus libro secun-  
 do, Athelvoldus ex monacho Glastoniensi abbas Ab-  
 bandonienfis.

Vox efflata  
 de imagine  
 crucis.